



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VII. Idem (a) Lundon. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

& à quietetantum non discedatur: distinctius ergo negotiationis distinctionem facile exponatur quæ adduxi pro dubitandi ratione.

C A P U T VII.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

Relatum est auribus nostris, quod (b) monachi N. (c) seculariter vivunt, & alios exemplo corrumpunt. Inde est, quod auctoritate Apostolica tibi (d) indulgemus, ut eos ad observationem monasticæ regulæ (e) appellatione remota compellas: & si tibi resisterint ausu temerario, eis (f) ejectis, fratres Cisterc. Ordinis in præscriptum monasterium inducas, ut (g) labores impiorum iusti edant, & illi tunc de rubore confusi, ad sui Ordinis observantiã revertantur.

N O T Æ.

1. (a) *Lundon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* & post Concilium Later. p. 27. cap. 3. ex quibus textum hunc transcribo, ut agnoscat Raymundum partim plenius; partim significantius; prout universali legislatione oportebat; textum transcripsisse, dum omisit verba illa *Cisterciensis Ordinis*; & addidit clausulam illam, *si non potest præscriptum monasterium in suo Ordine reformari*, ut notavit Boëtius Epon. *hic.* Alia pars extat in cap. 3. de cleric. excom.
2. (b) *Monachi N.*] Nomen monasterii à compilatoribus omisissum fuit, adjectã tantum literã N. licet male in dict. cap. 3. partit 27. exprimat *Natum*; & fortè omisissum fuit monasterii nomen; ne illud hoc authentico testimonio notaretur in perpetuum; & etiam quia cum hoc Alexandri responsum pro lege universali observandum esset; non erat conveniens, aut necessarium exprimere nomen ipsius monasterii.
- (c) *Seculariter vivunt.*] Negotiis secularibus impliciti; unde textus hic fuit compilatus *sub hoc tit.*
- (d) *Indulgemus.*] Quia monasterium hoc rat exemptum à lege dicecesana; & jurisdictione

Episcopi: unde nisi virtute delegationis non poterat Episcopus Londinensis illud vitare; monachosque corrigere, juxta tradita in cap. 1. cec. cap. grave, de offe. Ordin.

(e) *Appellatione remota.*] Quia à correctione non admittitur appellatio; cap. 2. cap. reprehensibilis, de appel.

(f) *Ejectis.*] Non intelligas monachos hos fuisse quidem ejectos è monasterio illo, non autem ab Ordine, motus ex eo, quod Alexander id se jubere dicit, ut illi rubore suffusi ad sui Ordinis observantiam convertantur; nam si ejicerentur ab Ordine, mandaret Pontifex, ut in alia monasteria detruderentur: quod verò conversionem ipsorum intendat, id etiam fit in ista projectione; cum enim ita ejecti semper monachi remaneant; optandum est, ut hac penã ad officium suum revocentur, & ita proprium monasterium recuperent. Docuit Gibalinus de clausur. regul. disquis. 2. capite 4. §. 8. numero final. De penã hac ejectionis ob incorrigibilitatem egi in capite final. derogatur.

(g) *Ut labores impiorum.*] Respexit Pontifex ad illud psalmi 10. *Iusti intulerunt spolia impiorum*, ubi agitur de Aegyptiis mari rubro submersis, & eorum spoliis Israelitico populo datis. Facit textus in cap. quicumque, 23. quisf. 7.

C A P U T VIII.

Innocent. III. Episcopo (a) *Esculano.*

Sicut te accepimus referente, cum ven. f. n. (b) Episcopus Hostien. olim per tuam transiens civitatem, tibi dederit in mandatis, ut Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quos ibidem invenit passim tabellionatus officium exercentes, excommunicationis vinculo innodares, & eos qui ab illis publica reciperent instrumenta: tu licet id feceris, ex mandato tamen Episcopi dicti dissimulasti postmodum de Subdiaconis, donec qualiter contra ipsos, & alios in sacris Ordinibus constitutos deberes procedere, Sedem duceres Apostolicam consulendam. Quocirca fraternitati tuæ per A. f. m. quatenus clericis in sacris ordinis constitutis tabellionatus officium per beneficiorum suorum subtractionem ap. postp. interdicas. Datum Later. VI. Kalend. Decemb. Pont. N. anno XIV.

N O T Æ.

1. (a) *Esculano.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & in epistolis

editis à Bosqueto lib. 2. registr. 14. epistol. 129. ex quo tetum hunc restituro. Esculum, seu Esculum, perantiqua; ac nobilis Italice civitas est, in Piceno supra fluvium Troentum: ejus meminerunt